













1712.

1. <sup>2</sup> Endker, Johannes Paulus : De symbolica possessione  
juris publicis criminalis. 2 Saentler
2. Fichtner, Joh. Georgius : De renunciationibus iure-  
burs
3. Fichtner, Joh. Georgius : De exarmatione Vltzgo  
na in Insamirung
4. Herold, Johannes Ludovicus : De bonis vacantibus.
5. Holthebrandt, Henricus : De excussione allodia  
ante feudum.
6. Kub, Nicolaus Christoph : De sequestratione  
permissa.
7. Kuclerus, David : De Comitatu belluorum ultimus  
Burgundiae duc.
8. Kuclerus, David : De proportionum publicorum  
vanitate
9. Birk, Ludovicus Gollis et Link, Jacob Gollis :  
De origine Slectorum.

1712.

10<sup>a. 26</sup> Spitz, Erhardus: *Formula rituum clericorum*

*et presbiterum anteq. des. Nithren. Recht.*

2 Imp. 1712: 1737

11. Spingias, Felix: *Deceptiones senatus consulti*  
*Macedonici iureli. 10.*

12. Stenger, Joh. Christophorum: *De successibus secundum*  
*suam statuta regulantis*

13. W. Wer, Michael: *De constitutione particulari juris*  
*communis*

14. Wuefelinus, Georgius Andreas: *De metu potentiali*

1713.

1<sup>a. 7</sup> Baumgaertner, Johannes Christophorus: *De ecclesia*  
*matre 2 Imp. 1713: 1734.*

2. Fickner, Jo. Georgius: *De veritione et credentiam*

3. Kazanum, Christophorus Stephanus: *De denegato forae*  
*civis hausta per terram & domacorum.*



4. Hezeccerus, Christophorus Stephanus: (De Curia, curiam  
Prætorum regum exponeret et de Curia regis) (N. T. West)
5. Luyffels, Johannes Christophorus: De rebus tertius
6. Schwarzgus, Christianus Gottl.: De accumulatione et  
Vellij. Fiterculi: hist. lib. I. Cap. 17.
7. Hopperus, Isidorus: Conspectus seu dispositio per-  
doctarum synoptica, ex prælectionibus... Isidori  
Hopperi... de præsentia... publicæ luci manus  
exposita et ad sententiam antea...
8. Waelcker, Conradus Gualterius: De jure legationis  
ciuitatum imperii





472.

Q. D. B. V.

1712, 11/13

DISPUTATIO JURIDICA

DE

EXCEPTIONE SEN-  
NATVS CONSULTI  
MACEDONIANI  
INVALIDA

QUAM

SUB PRÆSIDIO

DN. FELICIS SPIZII,  
U. J. D. CODICIS ET CONSUETUDI-  
NUM FEUDALIIUM PROFESSORIS  
ORDINARIJ  
NEC NON FACULTATIS JURIDICÆ  
SENIORIS

ET  
INCLYTÆ REIP. NORICÆ CONSILIARIJ

AD DIEM XXIII. MARTII, MDCCXII.

PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI  
SUBDIT

CHRISTIANUS PHILIPPUS AMLING  
COBURGENSIS.

ALTORFI TYPIS KOHLESIANIS, VNIV, TYPOG.

11











## PRÆFATIO.



Quamvis mos esse soleat Ictis nostris singula sæpe legis vel edicti alicujus verba ordine interpretari, Imperatorque noster Justinianus illorum diligentiam non raro imitetur, quem admodum ex Institutionibus passim apparet, in quibus verba textus ambigua pleniori studet restituere intellectui, vid. §. 9. Inst. ad Leg. Aquil. hac tamen opera me supersedere hac vice posse, res ipsa demonstrat, dum vocabula rubricæ meæ de exceptione Scti MACED. invalida conceptæ evidentem de se præbent sensum. Sicuti & cuius est notorium, quod Exceptiones sint defensiones reorum, cum quibus agitur, & quibus actiones in judicio motæ excluduntur, infirmantur & depelluntur, ceu Imperatores & Icti Veteres hac de re loqui

A 2

amant



amant, non aliter ac exceptiones per replicationes actorum, & hæc iterum per duplicaciones & sic deinceps depulsantur. Præterea inter omnes constat, quod S<sup>C</sup>tum Macedon. prohibeat, ne quis pecuniam mutuam det filiosam. & si dederit, denegetur ei actio & petitio, nec post mortem patris. *L. i. D. de S<sup>C</sup>to Macedon.* ideo omiſſa prolixiore præfatione, præſens thema in ſequentes theſes includimus, demonſtraturi compendioſo ſermone 1) quid ſit exceptio S<sup>C</sup>ti Macedon. invalida: 2) cauſam impulſivam & originem ipſius exceptionis; 3) Subjectum, idque vel activum vel paſſivum: 4) materiam circa quam & effectum, ſubjectis quibusdam ad meliorem illuſtrationem quæſtionibus. Divina clementia faveat meis cœptis & diſponat impoſterum actione: meas ad ſui nominis & voluntatis divinæ imperium, ad commodum Reip. patriæ, gaudium & voluptatem venerandi Domini Parentis familiæque meæ cariffimæ ſalutem communem.





THESIS. I.

**E**St igitur exceptio SCti Macedon. invalida talis allegatio a parte actoris, qua per ejus replicationem infringitur exceptio rei conventi. Cum enim omnes accipientes mutuam pecuniam, regulariter teneantur conditione certi ex mutuo: in titulo de SCto Macedon. proponitur aliqua exceptio, quando pecunia mutuo data est filiofam. Quod tunc iste creditor propter hanc exceptionem non possit consequi pecuniam a se datam, idque indistincte, sive patrem velit convenire, sive filium ipsum vel in potestate adhuc constitutum, vel emancipatum, sive hæredes filii L. 1. pr. L. 7. §. 10. de SCto Macedon. immo etiam fide jussori hæc exceptio prodest ad liberationem, dummodo non donandi animo intervenerit. L. 9. §. 3. eod. Siquidem hujus crediti exigendi creditoribus nunquam jus est, nec post mortem patris; ut jam ante monitum. Sed propter circumstantias & alias attributiones a parte actoris excludi potest hujus exceptionis effectus & juris applicatio alteratur nunc ex persona patris, interdum ex persona ipsius creditoris. Lauterb. Comp. h. t. ibique citati plures autores.

Definitio.

THESIS. II.

Autor SCto huic condendo ansam suppeditans Vespasianus fuisse creditur; de quo Suetonius in vita ejus cap. 11. hæc verba tradit: *Autor Senatus fuit de-*



cernendi, ut quæ se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur, neve a filiofamil. fœneratoribus excipiendi crediti jus unquam esset; hæc est, ne post patris quidem mortem. Quamvis Petrus Faber subtilissimus ICtus & Polyhistor L. I. Semestr. c. ult. sub Claudio II. & Vitellio III. Conf. A. U. 799. hoc SCtum latum esse arbitretur, in quo adstipulantem habet Gothofred. ad rubr. ff. de SCto Macedon. ex eo forsan fundamento, quod Claudius Imperator, teste Tacito L. 3. Annal. creditorum sævitiam lege interposita cohibuerit, ne in mortem parentum pecunias filiisfam fœnori darent. Verum quia Tacitus de Lege à Claudio lata, non autem de SCto loquitur, Suetonio magis fidendum esse crediderim, cui calculum etiam adjicit Heig. ad §. 6. & seq. n. 1. Inst. quod cum eo qui in al. pot. neg. Welenbec. in Paratitl. pr. & alii. Hoc tamen non ignorandum, quod jam antea legibus Solonis, ex quibus Romani multa mutuati sunt, talismodi sanctio fuerit in usu. Schneidw. ad dict. §. 7. & Welenb. c. I. Cur autem Macedonianum appellari meruerit, interpretes non adeo convehunt. Theophilus Græcus ille & optimus Paraphrasta cit. §. originem tribuit Macedoni, filiof. cuiquam, juveni nepoti & luxurioso, qui cum grande æs alienum turpiter conflatum solvere non valeret, patrem occiderit, quo ad Senatum perlato facinore, hic fuisset permotus, ultione à parricida sumpta, SCtum decernere, ac imposterum, qui filiofam. mutuam pecuniam dedisset, actionem exigendi illius non haberet. Esset hæc sententia non de nihilo, si expressa SCTi ipsius verba in princ. tituli nostri eidem non resisterent. Cæterum SCtum hoc



hoc præter morem nomen tulisse alia exempla docent, vid. Donell. Lib. 12. comment. 24. & de forma SCtorum condendorum Excell. Dn. Præf. *ad Instit. tit. de J. N. G. & Civil. in Commentar. Rubric. de jure human. §. 17.*

THESIS. III.

Omnes exceptiones introductas esse novimus propter æquitatem quandam, quæ obtinet præsertim in Prætoriiis, ne summum jus summam faciat injuriam: ita replicationes & cæteræ allegationes ultro citroque factæ eandem habeat causam ac originem; quæ comparatæ sunt adjuvandi actoris gratia, ut iisdem vis exceptionis, quæ a reo objecta, prima facie justa videbatur, revera tamen iniqua est, replicetur atque resolvatur. Causæ autem introducendi SCti Macedon. fuere speciatim odium feneratorum, favor parentum, ut saluti bonisque eorum consulatur, cum luxuriosa & dissoluta vita filii, non leve parentibus inferat dedecus, neve ipsi liberi luxuriam eligentes vitæ parentum desperatim insidiarentur; melius siquidem est, coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos disperso patrimonio manet. *L. fin. §. 5. C. de Bon. quæ liber. &c.*

*Causa impulsiva.*

THESIS. IV.

Subiectum cui detur hæc exceptio SCti. Macedon. multi existimant constituere majores 25. annis, cum pupillis & adolescentibus aliter sit in LL. prospectum: Sic pecunia mutuo data sine tutoris auctoritate non fit accipientis §. 2. *Inst. Quibus alienare licet l. non*, & minor in

*Subiect.*



in integrum restitui potest, causa cognita. *L. 3. § 2. de Scto Macedon.* Sed quemadmodum non distinguitur quoad sexum, *L. 9. §. hoc Sctum. 2. ff. eod.* nec an liberi sint primi gradus, an ulteriorum; ita senatus non distinguit in ætate liberorum, modo sint filiiam. in sacris paternis constituti, utrobique locus est Scto Macedon. Effectus hujus beneficii per pleniorum interpretationem extenditur etiam ad nepotes. *L. 6. C. de Scto Macedon. L. 14. ff. d. t.* item ad fidejussores & mandatores. *L. 7. §. quanquam 10. L. 9. §. non solum 3. ff. d. t.* nec hæredibus denegatur *L. 7. §. 10. d. t.* ita ut & hi hac exceptione defuncto propter privilegium quæsitæ, ex persona ejus uti possint. *Lauterb. Disp. de Benefic. competent. §. 7.* Licet eam juxta perpetuam exceptionum realium naturam & indolem ad hæredes quoscunque extendatur. *L. 7. §. 1. ff. de Exceptionibus L. 7. §. 10. d. t.* Quid si pecunia mutua ap. Filiumf. adhuc extet, an & tunc locum exceptioni fore dicimus? resp. omninò? *per L. 9. §. 2. h. t.* neque obstat quod contra naturam esse dicatur, aliquem cum alterius damno & injuria fieri locupletiorum *L. 206. ff. de R. J.* Siquidem regula isthæc officium suum perdit in coërcitionibus pœnalibus. *Donell. d. L. 12. c. 25.* Quid Despu-riis res plana est: quia enim ex justis nuptiis non sunt procreati, atque sic sub patria potestate minus existunt, consequens est, his auxilium hoc non prodesse arg. *L. 1. d. t. Sichard. in Cod. eod. tit. n. 4. rubric.*

THE-



THESIS. V.

Subiectum passivum sunt omnes creditores, quibus pecunia ex mutuo debetur, præsertim vero improbi foeneratores, qui pecunias credere solent incertis nominibus, filiisfam. ea lege, ut morte demum patris sibi redderent, per hoc malis moribus materiam peccandi præstantes. Sæpe enim liberi, ut experientia testatur, non expectata mortalitate parentum, insidias vitæ eorum struxerunt, quo citius eorum bonis potiti, & creditoribus & suæ luxuriæ satisfacerent, per *S. pen. Inst. Quod cum eo qui in alien. pot.* Civitati quoque potest obijci exceptio S<sup>C</sup>ti Macedon. quia Civitas hic loco privatorum habetur *L. 16. ff. d. V. S.* ex quo patet, minus privilegiatas esse civitates minoribus, cum minor filiusfam. in integ. restituatur. *L. 11. in fin. De Minorib.*

Subiectum passiv.

THESIS. VI.

Objectum sunt mutui datio, non cujusvis rei, sed tantum pecuniæ numeratæ, seu nummorum: Senatus enim ait: *ne quis pecuniam mutuo det, ne quis foeneret.* non igitur prohibet omnes contractus in genere, non venditionem, locationem, Societatem & fidejussionem. Quamvis enim pecuniæ vox alias Itissime significet res tam mobiles, quam soli, corporales & incorporales, *L. 178. pr. L. 122. de V. S.* hoc in loco tamen strictiori notione venit, ut nimirum ille solus S<sup>C</sup>tum offendat, qui pecuniam paratam filiisfam. subministrat, non qui aliter contrahit *L. 3. §. 3. ff. h. t.* ratio differentiæ est, quia alii contractus & aliarum rerum, ut vini, frumenti, olei &c. mutuum, non tam periculosa & pa-

Objectum,

B<sup>1</sup> renti-



rentibus pernicioſa res eſt, quam pecunia data: niſi contractus alii ſiant in fraudem legis prohibitiuæ, veluti ſi filioſam. aliæ res vendantur, quibus iterum venditis pretium inde redactum ſibi habeat in vicem mutui eoque pretio utatur. *L. 3. §. pen. L. 7. §. mutui 3. ff. de Scto Macedon.*

THESIS. VII.

Tametsi exceptio nobiliſſima Scti. Macedon. ita ſit privilegiata, ut filioſam. ea ante ſententiam non oppoſita poſt rem iudicatam eam obijcere poſſit in actu executionis: *L. 11. ff. h. l.* attamen aliquot caſus memorabiles excipiuntur, quibus hæc exceptio infringitur, & ſine effectu relinquitur contra actionem a creditoribus inſtitutam, circa quos noſtrum potiſſimum accipiatur argumentum. Ceſſat nimirum Sctum Macedon. 1) *propter qualitatem peculii caſtrenſis vel, quaſi,* in quo filioſam. vice fungitur patriſam. & efficaciter obligatur ex mutuo *L. 1. §. uli. L. 2. ff. eod. tit.* idem aliqui DD. aſſerunt *de peculio aduentitio pleno, ſeu irregulari*, de quo quippe Leges eidem plenam concedunt diſponendi facultatem. vid. *Pagenſtech. in Sicilim. ad h. t. Diff. Lauterb. eod. n. 2. de debitore.* 2) Si filioſam. vectigalia conducta habeat, ſive ſit publicanus, ob utilitatem publicam & favorem vectigalium, in quibus eſt nervus Reip. quo ipſo novam videtur qualitatem induere, cum vectigalia publica conducere Patrumſ. non filiorum famiſ. negotium eſſe cenſeatur. *Greneweg. ff. d. t. L. 3. §. 1.* Inutiliter opponitur 3) Si filioſam. affirmaverit, ſe eſſe patriſam. nec vana ſimplici-



nifi  
; ve-  
nutui  
ff. de  
  
ita fit  
ppo-  
u ex-  
mo-  
itur,  
tori-  
acci-  
ace-  
uasi,  
citer  
dem  
u ir-  
nce-  
ilim.  
fili-  
nus,  
qui-  
tem  
mf.  
ene-  
fili-  
im-  
lici-

plicitate deceptus creditor sed iusta ratione ductus ipse filiosam credidit pecuniam, quia plerisque per errorem facti videbatur paterfam. *L. 1. C. ad SCt. Maced. L. 10. ff. de re judic.* Communis enim opinio, licet erronea, quodammodo jus facit; huc applicant *L. 3. ff. de Offic. Præsid.* in qua quæritur, an acta a servo, qui se pro libero homine gerebat & Romæ ad Præturam pervenerat, sint rata. vid. *Hottom. Illustr. quæst. 17.* Consentaneum insuper est, falsum ejusmodi assertorem legum auxilio privari, deceptis namque non decipientibus Jura subveniunt, neminique suus debet prodesse dolus *L. 3. §. 3. d. t.*

THESIS. VIII.

Præterea 4) non recte objicitur, si pater jufferit, filium suum pecuniam mutuam accipere, quia hic cessat ratio prohibitionis, ne filius pecunia corruptus minus obediens existat patri: Vel 5) si pecunia numerata in talem causam impensa, ob quam ipse pater obligatur *L. 7. §. 11. C. 12. eod.* veluti si ideo mutuo sumsit, ut pro forore in dotem daret, dummodo eam quantitatem sumat, quam pater secundum consuetudinem suam sumere solebat. *L. 3. §. 3. ff. de in rem vers.* Item si filiosam. studiorum vel legationis causa alibi degenti mutuum datum sit ad necessarios sumtus & probabili modo, quoad has impensas dissentire non præsumitur pater, quas facturum fuisset, vel facere debuisset, de quibus omnibus vid. *L. 12. 16. C. 17. de Senatus consult. Macedon. L. 5. Cod. eod.* quod etiam procedit, si 6) pater sciverit, nec interposuerit contrariæ voluntatis testationem. cit. *L. 16. eod. tit.*



THESIS. IX.

Filiusfam. factus paterfam. Si 7) partem debiti solverit, vel per novationem id promiserit, vel aliter debitum agnovit, *L. 7. §. ult. & L. 9. pr. de Scto Maced.* partis enim solutio impedit Sctum Maced. Castrensis ad *L. 8 §. fin. eod. Glossa. ibid.* ubi ait: *etsi filiusfam. factus paterfam. unum tantum numum solverit, ad totius solutionem adstringi posse eum, quemadmodum pater adstringitur, qui partem solvit mutui à filio contracti, nec opponere potest quoad reliquum, hoc Sctum. d. L. 7.* Aliud est in pignore dato, cuius datione debitum saltem pro quantitate pignoris dati confirmatur *L. 9. ff. d. t.* Alia proinde ratio militat in solutione partis debiti, alia in pignore dato qui partem debiti solvit, residuum etiam agnovisse intelligitur. *d. L. 7.* non item qui dat pignus debito vilius: non solet pignus pro debito in solutum dari creditori. *Accurs. in L. 1. L. 9. Duar. ad tit. ff. de Sct. Maced.*

THESIS. X.

2. 1. Coronidis loco unam atque alteram quæstionem inferere volupe est; Primo an cesset Sctum. Maced. si filiusfam. huic beneficio 8) renunciaverit? quod affirmandum esse reor, ita ut filiofam. soli, non patri noceat renunciatio. Quamvis plerique dissentiant, secuti Azonem & Accursium, filiumfam. renunciare non posse, quia in odium fœneratorum est introducta hæc exceptio, ideoque jure publico defenditur, quod est irrenunciabile *L. 40. C. de Condit. Indebit.* deinde quia introducta est, ne ansa malis moribus præbeatur, licet jurata fuerit renunciatio, cum juramentum non debe-



debeat esse vinculum iniquitatis. cap. X. 28. de jurejur.  
Tertio concurrat favor. tertii, ut parentibus consulatur.  
Putant insuper dissentientes suam opinionem radicatum  
esse in *L. 11. De Scto Maced.* Verum ibi hoc tantum  
dicitur, posse istam exceptionem, si non fuerit in ju-  
dicio opposita ante sententiam, tamen post rem judica-  
tam opponi executioni, minime vero dicitur, quod fili-  
usfam. etiam. invitus hac exceptione uti cogatur, ita  
ut non possit illi renunciare.

*THESIS. XI.*

Secunda quæstio pariter non inanis est, num sit *Questio. 26*  
vera exceptio, si præter mutuum alius contractus sit  
celebratus, & respondetur, verissimum quidem esse,  
cessare hoc casu 9) Sctum. Macedon. *L. 3. §. is au-*  
*tem. 3. ff. b. t.* veruntamen non videtur vera exceptio, cum  
non sit de regula, ut vulgo loquuntur. Nam in Scto  
expresse Vatum est de pecunia mutua *d. L. 1. eod.* ergo  
etiam casus excepti de mutuo speciatim esse debent, non  
de quibusvis aliis contractibus in genere.

*THESIS. XII.*

Tertia quæstio proponi potest, an ex persona ne- *Questio. 27*  
potis, qui jussu patris contra Sctum. Maced. pecuniam  
accepit, avo detur hæc exceptio? id pariter affirmo,  
quia pater ipse quidem, cujus jussu nepos pecuniam  
accepit in ea causa est, ut non possit uti exceptione pro-  
pter expressum suum consensum, agnitio vero & jussus  
patris, quoad nepotem, avo non præjudicare valet.  
Quod inter alios agitur, tertii jus oblædere non potest.  
per vulgaria jura.



THESIS. XIII.

Quaest. 4. Quid si qui filiofam. pecuniam mutuam dedit, hunc creditori suo delegaverit, num adversus illum exceptione se tueri possit filiusfam. ? Neg. non obstat *L. 19. §. diversum ff. de Novat.* Cujus species talis est : Titius dedit filiofam. mutuam pecuniam, & cum sciret eidem nummos repetenti obtaturam exceptionem S<sup>C</sup>ti. Maced. huic evitandæ delegat filiumf. debitorem suum alii suo creditori, Sempronio, ut eidem, non sibi, solveret, seu mandat filiofam. ut Sempronio pecuniam daret : *er weist den filium als debitorem an den Sempronium, dem Titius auch so viel schuldig ist/ mit Begehren der filiusfam. solle seinem des Titii mutuantis creditori das Geld bezahlen.* Quæritur jam utrum Sempronius, cui delegatio facta est a filiofam. qui delegatus est, possit pecuniam petere ita ut filiusfam. exceptione non utatur contra eum, quemadmodum uti poterat contra Titium delegantem ? repondetur quod non, ratio est, quia in hac secunda promissione delegatarius Sempronius nihil contra S<sup>C</sup>tum Maced. fecit ; Aliter sese res habet in muliere, quæ semper promittendo pro alio contra S<sup>C</sup>tum Vellejanum fidejurare videtur.

THESIS. XIV.

Q. 5. Quinto quæritur, an qui filiofam. refractario sciens pecuniam subministrat ad studia, exceptio obstat hujus S<sup>C</sup>ti Maced. ? quod affirmo, quia filius paterni consilii contemtor, corrumpitur, ut in sua pertinacia persistat ; iudex autem hac in parte discretus arbitrabitur, & rem

rem pro conditione, loco, ingenio & fortuna cujus-  
cunque ita temperabit, ut neque filius refractarius red-  
datur, neque pater tenax julto austerior evadat. Lau-  
terb. *Colleg. Pract. ad tit. de Scto Maced. §. 25. Sub-  
finem.* & in compend. circa fin. ibique allegat.

THESIS. XV.

Tandem discutiendum subjicio thema hoc, num  
filiusfam. mutuam pecuniam accipiens, salva conscientia  
possit uti hoc civili prætextu? Legibus illum tutum  
esse, iisque animam salvare posse multi contendunt: 2.6.  
Verum si rem penitus examinare velimus, vix erit ut  
illum ab omni reatu absolvemus. Lex enim externa  
est, quæ executionem impedire potest, obligationem  
vero tollere minime, nec justitiæ dictamen patitur ali-  
enum usurpare, aut cum alterius detrimento locuple-  
tari, *L. 14. ff. de Condiç. indeb. L. 206. ff. de R. J.* Se-  
cus erit si malitiosum creditorem supponamus, qui sci-  
ens in luxuriam pecuniam impertit filiofam. hunc enim  
naturalis ratio repellit, cum queri non debeat jactu-  
ram pecuniæ, qua tantum damni debitori intulit. Co-  
varr. *ad. c. quamvis p. 2. §. 3. Wames. Cent. 2. Conf. 39.*  
Tuld. *in Cod. ad tit. de Scto Macedon. Brunnem. ad l.*  
*15. ff. d. t.* Non ineptè huc referemus illud Plautinum  
in *Trin. act. I. scen. I.*

Dedistine hoc pacto ei gladium, qui se occideret;  
Quid secus est, aut quid interest, dare te in manum  
Argentum amanti homini adolescenti animi inopi,  
Quo exædificaret suam inchoatam ignaviam.

THESIS. XVI.

An per dignitatem liberato filio detur hæc exaemptio?  
Negat Salicet *in L. 1. ff. d. t.* ex ea ratione, quod ista e- 2.7.  
man-



mancipatio procedat tantum, quoad favorabilia, non vero quod odiosa: Alii contra, hoc fundamento nixi, quod non filii duntaxat personam Senatus respexerit, verum etiam patris, & odium maxime improborum foeneratorum: quicquid sit horum, negativa mihi magis arridet, quam & Carpzov. p. 2. c. 10. d. 17. prolixè defendit, quia in Dignitate tanta constitutus inter filios familias connumerari amplius non potest. *Nov. 81. conf. §. 4. Inst. quib. mod. patr. post. sol. add. Greenew. ad ff. b. t. L. 1. §. 3.* Sola autem Nobilitas exemptionem non confert. *arg. L. 1. ff. d. t.* quamvis in Principum filiis aliud assertum eant. *Conan. & Barbos. ad. L. 2. num 23. C. d. t.* quos refert Lauterb. *eod. n. 2.*

## EPILOGUS.

Hoc specimen Academicum tanquam documentum laboris & temporis non inutiliter consumti B. L. æqua censuræ trutina æstimaturum confido. Tantum enim abest, ut inanis gloriæ laudem affectaverim, siquidem imbecillitatem mei ingenii, lubens agnosco; ut potius carissimi Domini Patris expectationi, quam de meisque studiis concepit, fructiferam spem faciam, constanter Dei faventia, prosperi studiorum meorum eventus. Si vero in uno aut altero me peccasse intelligis B. L. ignosce, & cogita neminem mortalium statim perfectissimum fieri, sed juris prudentiam nostram tractu longi & longissimi temporis, per assiduam studium & indefessum laborem acquiri, & usi diuturno per modum alluvionis insensibilis ad perfectiora deduci scita.

F I N I S.

ULB Halle

005 353 122

3



*SB*









472.

Q. D. B. V.

1712, 1713

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
EXCEPTIONE SEN-  
NATVS CONSULTI  
MACEDONIANI  
INVALIDA

QUAM  
SUB PRÆSIDIO

DN. FELICIS SPIZII,  
U. J. D. CODICIS ET CONSUETUDI-  
NUM FEUDALIIUM PROFESSORIS  
ORDINARI

NEC NON FACULTATIS JURIDICÆ  
SENIORIS

ET  
INCLYTÆ REIP. NORICÆ CONSILIARI

AD DIEM XXIII. MARTII. MDCCXII.  
PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI  
SUBDIT

CHRISTIANUS PHILIPPUS AMLING  
COBURGENSIS.

ALTORFI TYPIS KOHLESIANIS, VNIV, TYPOG.

